

162311

DISPUTATIO META-
PHYSICA

De

VERITATE ET
FALSITATE.

Quam

Nobilioribus suis aporematis
condecoratam

*Æternæ VERITATIS Phosphoro
allucente*

Indultu Amplissimi Ordinis Philosophici
In

Academia Septemvirali Marchica

PRÆSIDE

M. SIMONE GRUNOVIO,

SOLTQVELL, Palæo-Marchico

*Defendere pro viris
conabitur*

JOHANNES-SAMUEL GESENIUS,

Sanderslebiâ-Anhaltinus,

Habebitur 3. Id. Jan.

horis locoq; solitis

ANNO faustiter incunte

quo

Veritas sVb æqVo IVDICE Manet. 1623

Typis MICHAELIS KOCHII

exscripta.



Augustis
PATRIÆ MEÆ
Proceribus
VIRIS

Avitâ Nobilitate,
Orthodoxâ Pietate,
Amplissimâ Autoritate &
Liberatâ Humanitate

Præfulgentissimis

ILLUSTRISS. PRINCIP. ANHALTIN.

Testamentarijs fidelissimis

JURIS & JUSTITIÆ
CONSERVATORIBUS
MAGNIFICIS

Mecænatibus meis

Honoratissimis

Exercitationem hanc Metaphysicam

Sub novi anni auspicio

Omnimodam prosperitatem vovens

in

Grati animi documentum

Observantia debita monumentum

Ulteriorisq; promotionis invitamen-

tum

L. M. q;

inscribit

RESPONDENS,

Theorema I.



Obilis quidem & jucunda est Veritatis contemplatio, sed & difficilis est ac laboriosa.

Quod in rebus omnibus magnis accidere solet, ut cum summâ dignitate maxima difficultas sit conjuncta, id circa Veritatis scrutinium quoque usu venire tum assidua Philosophorum constantia & constans eorundem assiduitas, tum experimentum cottidianum abundè satis comprobat. Quid enim VERITATE vel dignius vel augustius sit sub sole non videmus: nec viderunt vel à nobis hic dissenserunt multis retrò seculis tot viri sapientes. Hinc *Scaliger* subtilitatis ille Magister de cœlo eam descendisse non veretur asserere. *Exerc. 355.* Hinc exploratio veri in arduo esse dicitur apud *Senecam de Benef. lib. 4.* Quâ ratione fit, ut ἀνδρωπίνη σοφία ὀλίγη ἰνὸς ἀξία καὶ ἄδενός, quod *Plato* olim graviter, & ut solet, suaviter agebat in *Apolog.* Oculi enim nostri sunt veluti τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα. *Stagirita 2. Metaph. cap. 1.* & *Scalig. Exerc. 1. Sect. 1. & Exerc. 131. Sect. 1.* docentibus.

II.

Nihilominus verò & in propatulo & in confesso est omnium, quod veritatis contemplatio tam difficilis non sit, ut nullo modo elucescat, & facilis fiat.

Perpendamus enim & ad molorthum rectioris judicij appendamus. I. quod nemo hactenus fuerit, qui etiam per sese prorsus aberraverit, nullamq; veram veræ cognitionis particulam attigerit. II. Congestis in unum omnium Philosophorum inventis magna videri potest veræ cognitionis copia. Unde III. VERITAS nostratis Philosophiæ anima & Christianæ professionis fundamentum

A

mentum

mentum à Scalig. Exerc. 6. rectissime appellatur: quia solius
 hominis Sola meta est *idem lib. 2. de C. L. L. cap. 63.* Addecet
 ergò omnes VERITATIS esse studiosissimos & ἠδιστὸν ἀ-
 κρισμάτων ex ore Platonis promptè suscipere, medullitis
 suspicere, ne vel à Falsitate, vel Dubietate pessimæ Matris
 Ignoratiæ pessimis natabus in nassam ineptiarū aut luctuo-
 sissimorum errorum labyrinthum, partim sciendi incuriā,
 partim discendi desidiā, partim inquirendi verecundiā,
 pertrahantur. IV. Hæc amplius: Duplices sunt animo-
 rum nostrorum motus: alter est cogitationis, alter appe-
 titus. Utq; appetitus impellit ad agendum: ita cogitatio
 in VERO experiundo maximè versatur: Etenim πάντες
 ἀνθρώποι τὸ εἶδέναι ὀρέγονται φύσει I. *Metaphys. I.* At ve-
 rò cum DEUS & natura nihil frustra facere credantur,
 naturalem illum sciendi appetitum frustra hominibus
 non datum esse facile liquet. Unde consequitur: viam
 VERITATIS cognoscendæ non planè incognitam esse,
 quinimò à multis exploratissimam haberi.

III.

Proindè duplici ad veritatem viâ ingrediemur:
 Unâ notionali; reali alterâ: illa nomen, hæc rem
 ipsam repræsentat.

Usus vocis prius cognoscere oportet: nisi enim quid
 nominis sit prius intelligamus, quid rei nunquam satis af-
 sequemur. Propterea ὄνομα ὄργανον διδασκαλικὸν καὶ
 διχειρικὸν δῆλωμα, μίμημα πράγματ' &c. scitè à Platone
 in *Cratylō* appellatur: Est ἑρμηνεῖον vel σύμβολον τῶν ἐν τῇ
 ψυχῇ παθημάτων ex sententia Aristotelis cap. 1. de *Interpr.*
 quo sæpè provehimur in rei perceptionem, *Scal. Exerc. I.*
 Tàm verum itaque est illud, quàm vetus: πρὸς τὸ ὅρθως
 διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα. Vide *Philoso-*
phum I. poster. cap. I.

Vox

IV.

Vox VERITATIS non uno modo apud Philosophos usurpata reperitur. Sumitur enim 1. pro veritatis cognitione. 2. pro veracitate. 3. pro eo, quod revera est, & opponitur ficto, apparenti. 4. pro attributo Entis.

Quatuor potissimum adducimus modos VERI, & quidem celebratiores. *Primum Plato* insinuat in *symposio* inquit: Animi eibus est VERITAS: *Et Augustinus in lib. de verâ religione*: VERITAS est, quâ ostenditur id, quod est. *Secundum Ethica* inculcat, edocetque, quod VERACITAS sit virtus, per quam id, quod in qualibet re verum est, solius veritatis amore simpliciter & apertè fatemur, nihil addendo vel detrahendo. Aliàs dicitur candor sive integritas. *V. Golius lib. 4. Ethic. cap. 7.* *Tertius* non obscure innuit aliud esse εἰς, aliud φαίνεσθαι, quod πολλοῖς Ἰουλιανῶν hinc originem traxisse quis dubitaret? *Quartus* autem *modus* nostro inservit proposito, cui *Cl. Timplerus* quidem opponit falsitatem, sed rectiùs ab eo dissentit *Fonseca* & *Cornelius Martini in comment. Metaph. m. p. 253.* & alij, quâ de re postea agemus uberius.

V.

Nomine expenso rem ipsam enubilabimus, eamque & in se & in suo opposito videbimus. Et quidem in se ac directè VERUM cognoscitur, vel ex suâ naturâ, vel ex naturæ gradibus seu differentijs. Naturam verò ipsa VERI finitio enucleabit. VERUM igitur est Conformitas sive congruentia rei cum intellectu.

Diximus cum Scholasticis & modernâ Philosophantium scholâ, VERUM esse conformitatem sive adæquationem, sed non quamlibet: nemo siquidem dixerit conformi-

formitatem, quæ cernitur inter quasvis res præcisâ omni
cognoscendi potentiâ esse veritatem: necesse igitur fuit,
ut VERITAS definiretur conformitas inter rem & po-
tentiam cognoscendi. *Fonseca 4. Metaphys. cap. 2. quest. 6.
sect. 8.* Ut autem conformitas illa tota est imitativa & re-
præsentativa illarum imaginum, quas DEUS essentialiter
de qualibet re creata in sua mente ab æterno habuit:
ita VERITAS non est omnis conformitas, sed rei cum
intellectu, non secundum esse objectivum, sed secundum
esse reale, sive realem existentiam, si non actuale, saltem
aptitudinalem, ut vocat *F. Suarez disp. 8. sect. 7. t. 8.* Quia
ad conformitatem, in qua simplex veritas hæret, non ne-
cesse est, ut res actu existant, sed satis est, si existere possint,
ut eccè Chymæram, Cerberum, Hyænam, &c. quis quæ-
sio Philosophorum hæc non-Entia appellavit, quia actu
non existunt? sed ideò, quia potentia existere nõ possunt.
At hinc nondùm liquet, quomodo & in quibus rerum
conformitas dicatur cum intellectu, & intellectus con-
formitas cum ipsis rebus? Sciendum autem est, *priori*
modo res artificiales esse veras. Domus enim illa vera di-
citur, & horologium tum demùm est verum, quando con-
forme est intellectui artificis id fabricantis. *Posteriori* Res
Naturales dicuntur veræ. Nam, unde aliquid habet ut sit,
inde habet ut verum sit, Scitum est Philosophorum: Pro-
inde, ut ibi intellectus est mensura rei; sic res hic est men-
sura ipsius intellectus. Confer *Armand. de Bello Visu tract.
de Transcenden. cap. 24. pag. 49. & Fonsca. 4. Metaphysic.
cap. 2. quest. 6.*

VI.

Proprietates VERI sunt duæ: Reciprocatio seu
Conversio, & Difficultas: Conversio est mutua Entis
VERIque de se invicem prædicatio,

Triplicem

Triplicem adposuit conversionem, utpote 1. secundum rem, 2. Conceptum, 3. Prædicationem *Javellus lib. 4. Metaph.* Nos eam hîc facimus geminam, estque una in essentia, quâ dicuntur ea converti, quæ præcisè idem sunt simpliciter secundum eundem cõceptum quidditativum; & sic termini convertendi reneantur æquè amplè. Quomodo Ens & VERUM non convertuntur, est enim affectio Entis, nulla autem affectio eundem habet conceptum quidditativum cum suo subjecto: Altera Conversio fit in supposito, quâ convertuntur ea, quæ æquè latè patent secundum modum prædicandi: & in hac omne VERUM transcendentale convertitur cum Ente, quia semper includit Ens, in eoque quasi fundatur.

VII.

Causam difficultatis, quæ circa cognitionem VERI occurrit, partim rebus, partim nobismetipsis tribuimus.

Prisci causam difficultatis hujus assignaturi in diversas abierunt partes. Sunt, qui rebus omnem solummodò difficultatem & impossibilitatem imponunt, non levi, ut ipsis quidem videtur, de causâ: quia in rebus humanis nihil fixum, sed in continuo fluxu sint omnia. Horum Primi- pilus perhibetur *Heraclitus à Dom. de Flandria l. 2. divin. quest. 1. & 4. divin. quest. 7. P. Tataretus 2. Metaphys. Fons- sec. 2. Metaphys. quest. 1. sect. 1.* Sunt & alij, inter quos *Scotus* utramque, quod dicitur, paginam facit, qui cum Philosopho *ὅτι ἐν τοῖς πράγμασι ἀλλ' ἐν ἡμῖν τὸ αἴτιον χαλεποῖ* statuminare conantur, *lib. 2. Metaphys. c. 1.* At non sine jacturâ veritatis, etsi enim verò in rebus motus secundum quantitatem continuus, & quod omnia hoc motu semper insensibiliter moveantur, à nobis facilè conceditur: non tamen est idem motus secundum quantita-

A 3

tem

tem & secundum qualitatem ac formam, unde non oportet, quod propterea omnia semper moveantur; & ita poterit de rebus haberi determinata cognitio, cum res magis cognoscantur per suam speciem, quam per suam quantitatem: ita asserimus nos cum *Flandr. 4. divin. q. 7.* quippe motus quantitatis à motu qualitatis longè est diversus, juxta *Aristotelem 1. de gener. & corrupt. cap. 4. & 5.* Sequitur ergò, res non esse instabiles nisi ratione individuationis, *Fonseca 2. Metaph. cap. 1. quest. 1.* Quid verò ad Philosophi autoritatem, sub qua Scotus delitescit? Dicimus nos, Philosophum non de quavis causa difficultatis, quæ in rerum cognitione accidit ibi agere, sed de præcipuâ saltem, quatenus intellectus noster difficulter est cognoscitivus, quantum ad Entia præclarissima, ut *Fonseca docet 2. Metaphys. cap. 1. quest. 1. sect. 3.* Quæ manifestiora naturæ & perfectissima Entia *Tataretus 2. Metaphys.* sive potentialia, ad quæ intellectus noster naturaliter non est dispositus. *Flandrensis 2. Metaph. quest. 1.* Cum unumquodque intelligatur secundum quod actu existit: Unde confectarium est hoc, quod Philosophus non dicit, hujusmodi difficultatem nullo modo esse in rebus, & totaliter in nobis; facit enim ipsemet duos difficultatis modos, *2. Metaphys. cap. 11.* Sed hoc duntaxat subinnuit, quod difficultas, quæ est in cognitione rerum immaterialium in nobis sit, & non in rebus. *Alij* verò, & quidem cordatiores, partim ad res, partim ad nos causam difficultatis in cognoscendo **VERO** transferunt, in quorum censu sunt *Thomas, Aven-Rois, Scal. Exerc. 359. sect. 12.* quibus pollicem & nos premimus, hac de causâ: quia in omnibus, quæ consistunt in habitudine unius ad alterum, potest impedimentum dupliciter vel ex uno, vel ex altero accidere. Oculus enim impeditur à visione alicujus visibilis, *scilicet*, quod oculus est debilis, *scilicet*, quod visibile tenebrosum. Ergò contingere potest, quod sit difficultas vel propter defectum, qui est in ipsis rebus, vel propter defectum, qui est in intel-

in intellectu nostro, vel, quod nonnunquam etiam accidit,
propter defectum, qui & hic & illic est.

VIII.

Sic natura VERI: sequuntur Gradus, qui consi-
derantur vel secundum VERITATEM apprehensio-
nis, vel secundum VERITATEM iudicij & com-
plexæ cognitionis.

Moderni Metaphysici VERUM apprehensionis triplex
videntur constituere: *vel* enim in essendo est, *vel* in signi-
ficando, *vel* in cognoscendo: seu, quod perinde est, VE-
RITAS alia est REI, alia est Signi, alia est Cognitio-
nis. Illa objectiva dicitur, & in ipsis rebus fundatur, à quâ
res dicuntur veræ, & à fictis discriminantur, qualis est Me-
taphysica ab *Aristotele* insinuata 1. *Metaph. 4.* Ista dicitur
Signativa, & est propriè in vocibus, scripturis aut concepti-
bus: qualis est Logica, quæ secundum *Scaligerum* est ora-
tionis *Exerc. 397. sect. 27.* Hæc dicitur Conformativa,
quæ est in intellectu cognoscente res, seu in cognitione
ipsarum rerum: qualis est Physica. Sed hæc VERITAS
cognitionis videtur optimè posse comprehendi sub veri-
tate rei, dummodò per rem non duntaxat intelligatur res
extra intellectum existens, quæ est objectum cognitionis,
sed etiam res in intellectu verè citra fictionem illius exi-
stens. Cæterum, verum iudicij est, quo rem cognoscimus
esse veram cum adhæsione: Estque vel Necessarium vel
Contingens. Sive, ut alij volunt: VERITAS alia est
mutabilis, alia immutabilis. Quicquid enim est VERUM,
id aut necessariò & immutabiliter est verum, aut contin-
genter & mutabiliter. Tantùm de VERO in se. Pro-
gredimur ad Oppositum.

IX.

Veritati Metaphysicæ non opponitur Falsitas, sed
Igno-

**Ignorantia: Veritati verò Logicæ semper opponitur
falsitas & contradicit.**


Si enim falsitas inesset rebus, tunc VERUM non esset
adæquata & unita Entis affectio, neq; omne Ens esset VE-
RUM per reciprocationem, & sic simul Verum & Falsum
esset, cum nullus detur conceptus, qui non habeat diffor-
mitatem cum rebus aliquibus, & potissimum in rebus cre-
atis. Hinc privativè VERO Transcendentali Ignoran-
tia opponitur. Nam, ubi Ignorantia pura est, & quatenus
talis, ibi nihil est. Ergò in mente, quæ ignorantia laborat,
VERO nihil opponitur, sed duntaxat privatio VERI ibi
est. Quando autem res falsæ vocantur, id per quandam,
metaphoram & extrinsecam denominarionem fieri, cum
Suarie & alijs asseveramus.

MANTISSA

- I. *Nùm aliquod Enunciatum verum in Philosophia, quod
falsum sit in Theologia, & contra? N.*
- II. *Utrùm rectè res alia alijs veriores esse dicantur? D.*
- III. *An sit discrimen inter falsiloquium & mendaci-
um? A.*

VICTORIA VERITATI, LAUS & GLORIA
TIBI O DOMINE JESU!





Doctissimo
DN. RESPONDENTI,
PHILOSOPHIÆ PERIPA-
TETICÆ PRÆPRIMIS
STUDIOSO,
Amico.



*Vis volupè est cælum terra miscere, laborant
TRANSPHYSCAM Logica vende-
re sub titulo.*

*Altiùs extollunt capita illi, qui Sophia orbi
TRANSPHYSCAM accensent, uti-
literq; docent.*

Entia multiplicant alii, cupiuntq; remota

Entia nonnulli, qua didicisse juvat.

Unde est Doctorum discors Concordia: Spina

Eccè rosas cingunt! Falsaq; VERA tegunt.

Quid spina? quid falsa? malis nos hacce Sophistis

Linquimus incertum quis capiunt populum.

Sit VERI STUDIUM SOPHIÆ quod promit abyssus

PRIMÆ, noster amor, mentis amica quies!

Voto JANE meo votum docte addis amice,

Id quod ager presens differit atq; probat.

Diffi-

Difficilis licet hic ; tamen est laudabilis ausus,
Qui Te (si perges) perpetue laude rebet.
Ingredere optatam Phœbo comitante palestram
Præsentiq; animo tela retunde virum.
Egredere, & mecum devoto corde precare,
Ut longum longum VERA Lycaea sonent!
Qui VIA, qui VERUM, qui VITA vocaris JESU
Nobis ab VERUM, VITA, VIA usq; sis!

In
Benivolentiæ uberioris symbolum,
Ulteriorisq; operæ hoc in opere incentivum,
gratulor

Præses.




ULB Halle 3
003 254 984




Sb.

W017








B.I.G.


Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



162311

24



META-

TE ET
TE.

ematibus

Phosphoro

Philosophici

i Marchicâ

INOVIO,

Marchico

irila

GESENUM,

ltinus,

an.

is

nte

Ce Manet, 1623

KOCHII

